


Christian Theophil


Delicatissimum Salomoneum Epithalamium, in gratiam Tanti Israelitarum Regis ante tot secula cantatum, nunc ... Dn. Friderici Wilhelmi, Regni Borussici & Electoratus Brandenburgensis ... nec non ... Dn. Sophiæ Dorotheæ, Brunsvicensium ac Lüneburgensium Ducis, ... Anno MDCCVI. cum auspicatissimum inirent matrimonium

[Erscheinungsort nicht ermittelbar]: [Verlag nicht ermittelbar], 1706

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1047225387>


Druck Freier  Zugang





38

Fr-4088^{i. a+b}



7040

DELICATISSIMUM SALOMO-
NEUM EPITHALAMIUM,

in gratiam
TANTI ISRAELITARUM REGIS
ante tot secula cantatum,

nunc

In gratiam gloriamque

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

DN. FRIDERICI
WILHELMI,

Regni Boruffici & Electoratus Brandenburgensis
Hæredis, Marchionis Brandenburgici, Supremi juris Principis
Arausionensis, Ducis Magdeburgi, Cliviæ, Juliaci, Montium, Stetini,
Pomeraniæ, Cassubiorum, Vinidorum, & in Silesia Crosnæ, Burg-
gravii Norimbergensis, Principis Halberstadii, Mindæ & Camini,
Comitis Hohenzollera, Rupini, Marcæ, Ravensbergæ, Hohensteini,
Lingæ, Meursæ, Buræ & Leerdami, Marchionis Vehræ & Vlissingæ,
Dynastæ in Ravenstein, Lauenburg, Butow, Arlay & Breda,

nec non

SERENISSIMÆ PRINCIPIS ac DOMINÆ,

DN. SOPHIÆ
DOROTHEÆ,

Brunsvicensium ac Lüneburgensium Ducis,
ac Serenissimi in Celsissima Domo Electoris
FILIÆ PRINCIPIS UNICÆ,

Anno MDCCVI.

cum auspiciatissimum inirent matrimonium,
devote renovatum

CHRISTIANO THEOPHILO.


T. C. 4088 1.2?

v. Nimmberg. P. 42.

Joh. Chr. Borsini. Invenimus Jno. V. Loviniani
Füllspr. des V. 48. münd. Auf. Berl. Jchn.

Pf. Alexander von. Davido epist. exegetic. apod. et.
v. 9. Jchn. 1726. p. 516.

Lampadius. Jchn. v. 18. 259. 29.
Jchn. 1726. p. 18. 259. 29.



UNIVERSITÄTSPRINCIPALIS
DN. SOPHIA
DOROTHEA

THEAE PRINCIPALIS
1726

CHRISTIANO THEODORO

Durchlauchtigster Fürst,
Gnädigster Herr.

VNter allen Brandenburgern
und Preussen, welche E. Kö-
nigl. Hobeit bey der oHobenVer-
mählung mit aller unterthä-
nigst-ehrerbietigem Glück-
wunsch aufwarten, bin ich ohne zweif-
fel der geringste, und begehre mich auch
darzu nicht höher als für den einfältig-
sten auszugeben. Denn so kan ich desto
eher entschuldiget werden, wenn ich et-
wa in der Freyheit vor E. Königl. Hobeit
zu erscheinen einen Fehltritt gethan ha-
be. In der Sache selbst nichts zu versehen,
oder zu schreiben, was vor E. Königl.
Hobeit zu kommen unwehrt wäre, bin
ich hoffentlich vorsichtig genug gewesen.
Denn ich habe ein Vermählungs-Gedichte
ausgeschrieben, welches dem verwunder-
lich-weisen König Salomo, der gar wol zu
urtheilen wuste, schon vor langen Zeiten
A 2 ist

ist überreicht, und von ihm gnädigst aufgenommen worden. Das Ausschreiben wird mir nicht verdacht werden, weil es mir grössere Mühe gekostet hat, als wenn ich selbst eins gemacht hätte. Und wo es seines Alters wegen mit der alten Münze gleiches wehrts seyn sol, so verdient es mehr Lob, als ich begehre. Doch, ich lasse dessen Wehrt und Unwehrt Ibro Königl. Hoheit gnädigstem Urtheil heimgestellt seyn, und verlange sonst nichts, als dieses, das es so gnädig möge aufgenommen werden, als es Unterthänigst wohlgemeinet ist. Sonst wünsche E. Königl. Hoheit ich mehr im Hertzen, als mit Worten, allen selbst bekehrten Fürstlichen und Königlichen hohen Segen, und endlich bin ich mit einfältigster Treue

E. Königl. Hoheit,

Meines Gnädigsten Herrn,


unterthänigster Knecht
Christian Theophil,
aus Vogtsdorff in der Neu-Mark,
der Freyen Künste beflissener
zu Helmstädt

in Sr. Hochw. des Herrn Abt Fabricii
Hause.


Qvan



Quantum in continuo, nullis-
que fatorum injuriis tur-
bato, justo hæredum succes-
sorumve imperantium ordi-
ne serieque sit positum cujus-
vis regni momentum, robur, decus ac
firmamentum, omnibus semper seculis
agnitum est: Sicuti, quas calamitates,
quasve turbas, motus, tumultus & mise-
rias, interruptus imperantium successus
minetur vehatque, tot semper locuta sunt,
hodieque loqvuntur, funestissima &
cruenta inde aperta dirissimorum bello-
rum theatra. Hinc habuerunt, cur sibi,
Regique suo Salomoni, gratularentur fe-
licissimi tunc temporis Israelitæ, de fœde-
ribus cum Regibus finitimis, per princi-
pes eorum ductas in matrimonium filias,
pactis, deque lætissima inde suborta hære-
dum, filiorumque in regno successorum
spe ac expectatione certissima. Hinc me-
rito largissima ominabantur commoda,
hinc placidum regni robur, hinc felicita-
tes innumeras. Hinc natum, in aliis, ele-
gantissimum faustisq; ominibus plenissi-
mum, inter frequentes superiorum infe-
riorum_



reriorumque, plebis procerumque, lætissimos plausus cantatum, Regiꝝ omnium, sua tempestate, splendidissimo oblatum, acumine arteque refertum, delicatissimum epithalamium, psalmo XLV. comprehensum. Maxima & hæc est terrarum, cœlitus indulta, Brandenburgicarum, civiumque Prussorum felicitas, quod de largissimo Principum, in spem Patriæ, robur, decus ac præsidium natorum, lætentur sintque lætati numero. Fufissime merito & hodie, enixeque, gaudet universum Prussiæ regnum, ac tota Brandenburgica tellus, junctique in lætitiã solvuntur cives, & summi Numinis tenerrimum mirantur affectum, largamque exosculantur dextram, dum Hæredi eorum *Regio Serenissimo Principi, Vegetissimo Regni fulcro, Serenissimam* connubio jungit, futuram, quod pie precamur, fœcundissimam *Principem conjugem, Patriæ Matrem.* Quidni & mihi, vilissimæ quamvis dulcis patriæ particulæ, in exteris terris hærenti, gaudium liceat testari meum, ac pii devotique erga optimum fortissimumque Principem affectus perspicuum aliquod dare argumentum? Cui, ne honor desit ac pretium, ex antiqvissimo




mo illud Davidis ac Salomonis repetam
sacrario, & sanctissimo, quantum super
est, utriusque Regis archivo, epithala-
mium modo laudatum, psalmo XLV.
comprehensum, in sapientissimi omni-
um Regis gratiam, ante tot tantosque se-
culorum tractus concinnatum, in glori-
am Gratiamque *Serenissimi Regii nostri
ac Heredis Principis ac Domini, FRIDE-
RICI WILHELMI, Regii Sponsi, nec non
Serenissimæ Brunsvicensium ac Lünebur-
gensium Ducis, SOPHIÆ DOROTHEÆ,*
Serenissimi in Celsissima Domo Electoris
filiae unice, Ducalibus Regiisque vir-
tutibus ornatissimæ *Regiæ Sponsæ*, e suis,
quantum per vires licebit, obscuritatibus
revocaturus, sententiæque ac menti suæ,
quantum fieri poterit, redditurus.

* *


HOc itaque elegantissimum hymenæ-
um, a quocunque tandem profectum,
carmen, ante quam ordiretur, quisquis il-
lud descripserit, in ipso primum titulo
modum indicat, ac circumstantias, qui-
bus illud, purgatissimis, delicatissimis-
que, nec nisi svavisima aventibus, judi-
cioque acerrimis, alacribusque curiosissi-
mi Regis æstimandum auribus oblatum

A 4

fit.



v.1. sit. Non solam *cantoris* vocem, humaniq;
gutturis artem modulationem ve, ac miri-
ficam oris coarctationem & divaricationem,
tonosqve emissos vivos, suffecisse,
sed musici insuper *hexacordi* cujusdam
instrumenti strepitum svavisimum, au-
ribus gratisimum, concentumqve dul-
cissimum, ac tremulas, nunc submissas
nunc acutas, nunc mediocres planasqve
sonorum variationes, ac naturæ conve-
nientissimos nunc tenerrimos, nunc
langvidos lentosqve, ac placidos, atqve
ad sedandos spiritus aptos, nunc citissi-
mos ac vivaces, & ad gaudium proclives,
nunc celerrimos interqve se certantes, fu-
gitivos & præruptos harmonicos lusus,
artificiosissima qvadam alternatione, di-
mensisqve interruptionum spatiiis, gra-
tiam cantantis ori, venustatemqve affu-
diffe. Nec fat erat, hunc convenientissi-
mum, regiisqve dignum auribus descri-
psisse cantus modum, sed, uti qvicquid
ad Reges magnosqve pertinet Principes,
admirationem cunctis qvandam inge-
nerat, ita omnes qvoqve eorum actiones,
vel & solennitates, celebresqve subdito-
rum in gratiam illorum atqve gloriam
tentatæ machinationes, exactiorem
qvadam,



qvandam, omnibusqve numeris absolu-
tam, circumspectam, circumstantiarum
variationibus bene illustratam, merentur
descriptionem. Hujus facer carminis de-
lineator bene memor, ipsos quoqve re-
censet Musicos, quorum, aliorumqve
musicæ artis peritorum genus virorum
I. Chron. VI. magno delineatur studio,
cantu artibusqve harmonicis insignes
Corachitas. Post hanc accuratam modi,
hominumqve, a quibus hæc oda sit canta-
ta, recensionem, altero tituli compendio-
sissimi membro, delicatissimum innuitur
sequentis venustissimi carminis argu-
mentum, quod nempe fit: *Elegantissimum*
epithalamium, seu suavissima de amatis
Salomoni fœminis oda. משכיל שיר ירדות.
Quiquidem titulus, pro veterum rudio-
ri, omnia una serie continua scribendi,
nec artificiosis distinctionum intervallis
utendi consuetudine, ipsius carminis sta-
tim subsequenter verbis proxime, sine
ullo spatio relicto, præcedens, pro accu-
rata hodierna singula concinnandi arte,
refecandus, solusqve ac separatus in car-
minis fronte distincte locandus. Sed hæc
suo nos linquimus loco, contenti, quod
ex hoc titulo de argumento carminis de-
lica-

licatissimo svavisimoqve, nulla superfit nobis difficultas, vel hæsitandi levisfima ratio, sed tota res fit manifesta, clara ac perspicua. Nec scrupulose rimabimur, sit ne tituli cum carminis autore idem ac unus, an diversus, quibus sat est, hoc prævium carminis ornamentum ita esse comparatum, ut nullius obscuritatis causa sit ejus brevitatis.

* * *

His ita eleganter promissis, ipsum tandem divinus, sagacissimi acuminis, artisqve summæ, egregius autor, splendidissimo Regis thalomo sacrum orditur carmen, breve hoc quidem, sed elegans, cantandis denuo prævium, peritiæ suæ artisqve Poëticæ ac Musicæ, præcinens
 v.2. encomium : *Machinatur, mens mea elegantissimum quoddam poëma, æstuat pectus meum eximio quodam invento, in excogitando carmine quodam acutissimo argutoqve totus sum, svavisissimam meditor odam, versantur cogitationes meæ in gravissimo, sed & jucundissimo argumento, quod argumentum, quæ artificiosa mea machinatio aut dulcissimum poëma, sacrum erit Regi, Regi dicandum, in Regis gloriam moliendum.*
 Nec

Nec ineptam suam fore Musam, sed maxima gutturis agilitate, artificiosa oris facilitate, & motu lingvæ flexili, vividissime ac scienter se cantaturum ita promittit: *Lingva mea*, cantandi peritissima, mobilitate sua, arteqve & alacritate, *amula est celerrime scribentis styli*. Quod potest scribentis stylus, id & mea præstat lingua. Quorum verborum intellectus redit in cognitionem antiqvæ, nostra multo rudioris adhuc & difficilioris, Musicae artis. Nec enim gavisi illi tam elegantibus, quibus nos, nec diu, a novissimis utimur temporibus, tonorum ac intervallorum signis, lineis rectis, earumq; interceptis spatiis, affixis & inspersis, facillimis, & ad vocis suppressionem vel elevationem juste designandam mirum in modum aptis, sed inertibus uncis, lineolis punctulisqve, flexuris ineptis & hamis, avicularum ungvibus simillimis, intricatissimis, quorum mira & nobis peregrina simulacra, terriculamenta & lectionis impedimenta, in sacris adhuc fontibus superflunt, his inquam, deformibus signis, pro remittenda voce vel acuenda, deprimenda vel elevanda, cantandi carminis scripturæ vel impositis vel substratis, aut
pro

pro vocis modulatione ac sono tremulo, aut producto, vel inflexis & curvatis, vel rectificatis, his, si angurio locus est, vel his similibus, usi fuerint cantumque suum mensi. Quæ ars, quam talem non definimus, sed ex longe recentioribus, in bibliis obviis, musicis signis & accentibus non disparem nobis imaginamur, quamvis fuerit difficillima, de tanta tamen in ea divinus præsentis carminis autor perfectione gloriatur, ut, si quis mirus & incomparabilis in hoc signa musica scribendi intricato genere sit artifex, illum tamen nullos tanta arte ductus, modulationisque gyros, aut sinuosas liturarum variationes exaraturum, quas ipse lingua ore suo, & gutture, non expeditissime, sine omni hæsitatione, facilitate maxima, scienter & cum auditorum admiratione imitaturus sit.

Non itaque agrestem aut sylvestrem suam, mollissimis Regis auribus percipiendam, fore Musam: Lingvam suam non hæsitaturam, mutilosque vel mancos sonorum strepitus crepitusve excitaturam, sed commodum, svavem, citissimum scitisimumque, machinaturam v.3. talem cantum: *Tu, Rex Salomo, venvu-
state*

state longe præstas omnes humano genere
 fatos, gratia exuberant labia tua. Quod
 est magnum in Rege decus, eximium
 autoritatis adminiculum, & acre subdi-
 torum in Regem amoris incitamentum.
 Quæ corporis elegantia, vel & eximia sta-
 tura, tanti in Regibus Israelitarum visa,
 ut diligentissime in eorum aliquibus no-
 tetur. Sic *Saulus* capite suo inter omnes
 eminentissimus Israëlitis dicitur, 1. Sam. X, 23.
 Et encomium *Davidicæ* formæ, quod ha-
 betur 1. Sam. XII. v. 16. plane singulare est
 & eximium. Quod itaque in cæteris
 admirabile visum, Regium decus ac or-
 namentum, illud Regem laudaturus fu-
 um merito non omittit prudentissimus
 Autor, summamque Regis venustatem
 clarissime commendat & vivide depin-
 git. An vero eadem cum sui interpreti-
 bus fuerit mente, qui hanc in Salomone
 formæ felicitatem omnis felicitatis cæte-
 ræ, diviniqve benigni in eum affectus, be-
 nedictionisqve rationem reddunt, ex sub-
 sequentibus Autoris verbis, על-כן ברכך
 מאלהים illud, modestiæ studiosissimus, nec
 affirmabo audax, nec negabo importu-
 nus, sed, an placeat arrideatve humanissi-
 me quæro, si על-כן efferatur per particu-
 lam.

lam : *Præterea, insuper, porro, ad hæc.*
Hernach, über dis, hiernechst? ut, post-
 quam formæ præstantiam encomiis suis
 ornaverat, nunc in exaggeratione for-
 tunæ Salomoneæ ita pergat : *Præterea,*
Rex Serenisime ac Potentissime, Deus in
secula tibi benedixit. Quæ benedictio,
 divinaque Salomoni promissa gratia, o-
 ptime exponitur ac declaratur ex 2. Sam.
 VII. 12. & 13. versibus, ubi Regnum Da-
 vidis posteritati in secula servandum in
 Davidem propensissimum promittit
 Numen. Ut adeo in hoc divinum fau-
 stissimum oraculum, bene ejus conscius,
 attentissimus sacri carminis concinnator
 alludat, & hoc dicat : *Præterea,* quod tu
 sis omnium humano sanguine procrea-
 torum longe formosissimus, & hoc gau-
 des divino largissimo certissimoque pro-
 misso, quod *Tua posteritas in multa sit se-*
cula duratura, tibi que in regno per in-
 numeros temporum circulos successura.
 Quam autoris mentem mirum in mo-
 dum illustrat septimus odæ nostræ ver-
 sus. Interim, cum hoc sacri Poëtæ am-
 plissimæ fortunæ Regiæ elogium sum-
 marium sit, eo quidem, quo dictum est,
 potissimum collimat, præterea vero om-
 nes

mnes simul Salomoneæ felicitatis ambitus comprehendit, opumque ejus ingentem vim ac tot auri pondera, tot pretiositatum cumulos, tantam rerum copiam divitiarumque molem, & stupendum apparatus, qui fidem credentis, narrantisque excedit verba, omnemque divinæ gratiæ, in Regem prolixissimæ, complexum indicat. Qui divinus in Salomonem gratiosus affectus 2. Sam. XII. 25. & 2. Sam. VII, quo ultimo loco filii carissimi nomine venit, vividissime pingitur.

Hoc itaque divino in Regem affectu descripto, & egregia, Regiaque & non quotidiana Salomoneæ præstantia formæ delineata, magno autoritatis & amoris adminiculo, pergit ad heroicum magnumque Regis Potentissimi genium animumque, & splendidum apparatus ulterius sistendum, dum eum grandi, virtutibus Regiis apta, arduaque compellat oratione: *Decus tibi maximum & heroicum est ornamentum, si lateri tuo accingas enses, heros maxime.* Nec enim חַיִּים est imperative efferendum, sed infinitivus est, nominis vi ac significatione gaudens: Accingere enses, vel ensis al-
ligatio,

ligatio, adaptatio & ornatus, decus in-
 signe tibi addit. *Esst ebet dir trefflich und
 überaußmajestätisch an, läst dir überauß
 heroisch, wenn du dein Schwerdt umge-
 gürtet hast.* Gloria summa est. decusque
 summum, gladio te esse cinctum; Gravitati
 singulari tibi cedit, te armis esse instru-
 ctum coruscis, invictissimis. In qua ma-
 jestatis, indolisque Heroicæ ac vere Regiæ
 exaggeratione hoc porro pergit modo:
 v. s. *Gloriosus quoque decorique tibi summo est,
 conscensus regii tui currus.* Quæ carminis
 verba, si digne, virtutibusque Salomonis
 heroicis accommodate explicentur, mi-
 rum in modum, nimiumque quantum
 splendidissimi Regis gravitatem augent,
 majestatemque ac dignitatem ejus exag-
 gerant. Hoc, ut perspicuum, & cuius
 primo statim intuitu obvium apertumque
 fit, non dissimulandum est, mirifice ab
 auctoris scopo aberrasse, qui vocalium
 signa, longo post tempore a scriptis divi-
 norum virorum libris, Prophetarum
 aliorumque, demum nata, literis reliquis
 minime coæva, sed multo recentiora, pri-
 mus nimis fero subjecit. Qui itaque an-
 tecedens verbum חגור quod infinitivum
 est, pro imperativo habuerat, succedens
 צלח.

חלץ. qvod *conscendendi, invadendi, occu-*
dandi significationem commōdisime
 hoc loco sibi vindicat, cum seqventi voce
 רכב æqve imperative intellexerat, nullo,
 vel invito, ineptoqve & extorto, emer-
 gente sensu. Cum tamen חלץ iterum sit
 infinitivus pro nomine, qvod omnibus
 lingvis frequentissimum, positus. Sic
 apud Latinos: *Venari periculosum est*,
 pro: Venatio est periculosa, apud Græcos
 ἵο θελεῖν pro θελημα, qvod apud Germa-
 nostam vulgare, ut tantum non semper
 infinitivo pro nomine utantur, & elegan-
 tius sit *das gehen wird mir sauer*, qvam,
der Gang wird mir sauer. Ultima vero
 vox non רכב sed רכב erat legenda, *cur-*
rum significans, cujus conscensus maje-
 statis, eminentiæqve ac gloriæ præcipu-
 um erat argumentum, adeo, ut si quis
 honore qvodam insigni, nec qvotidiano,
 præ cæteris à Rege afficiendus esset, cur-
 ru veheretur regio, qvod apertissime do-
 cet alias miseri, deinde autem honora-
 tissimi atqve eminentissimi Josephi
 splendidissima historia. Gen XLI. 43.
 Quæ consvetudo, curribus plaustrisque
 magnificis, regificisque, splendorem su-
 um gravitatemqve ac majestatem, ma-
 B gna

gna pompa ac solenni celebritate spectantis turbæ inferendi oculis, nec nostra expiravit ætate, sed toties a Principibus repetitur, quoties vel serenissimi hospites, eorumque sacri ac inviolabiles negotiorum interpretes, in curiam non sine publicis honorum indiciis symbolisque admittendi, vel & subditi in admirationem Principis ac venerationem trahendi. Taceo, quod ex hoc splendido Principum more elegantissima non inconcinne fit derivata figura, qua, in gloriosa divinæ magnificentiæ descriptione, Psal. LXVIII. religiosi Dei ministri, a quibus ille toto celebretur die, *currus Dei* appellantur. Ut adeo, dum magnificentissima Salomonis, hoc loco, Regis pingitur indoles, rectissime רָכָב legatur. Idque tanto commodius, cum armis instructum militaribus, hostiumque tergis quasi imminentem Regem in scenam adducturus erat. Nec enim ad pompam solum faciebant currus, sed, maxime si falcati essent, terribilissimum, hostibusque præ cæteris formidandum machinarum genus, a Regibus sæpe conscendendum regendumque erant: Quod, qui ex gentium, bella, arma virosque canentium,
 vel

vel scribentium, monumentis repetere
 nolit, doceri poterit ex 1. Reg. XXII. 32.
 33. 34. 35. 38. Hos igitur, facer inquit
 Poëta, belli pacisque currus conscendere
 decus tibi & gloria summa est.

Heroëm hunc in curru, mobiliqve
 Majestatis suæ theatro, constitutum ac
 conspicuum Regem, regio porro, gra-
 visimo ac splendido salutis titulo, quem
 ita præcedentibus annectit: decus ti-
 bi summum est, ex currus tui conscensu,
 הַעֲלִיפִים *Celsissime, Ibro Hoheit oder Majestät.*
 Hoc vocalis signo recte legitur vocula הַעֲ
 & condonabunt mihi hanc commoda si-
 gna substituendi libertatem, qui illa in
 sacris fontibus obvia, literis cæteris esse
 coæva, inani studio & magno Philologiæ
 veritatisqve damno, non leviter modo
 credunt, sed & pertinaciter propugnant,
 tam diu, donec ex sua particula הַעֲ, ejus-
 que cum cæteris cohærentiâ, commo-
 dum extorserint sensum. Nec vero hic
 voculæ הַעֲ reges salutandi usus a me illi
 affictus, sed ante tot devoluta secula Re-
 gibus familiaris, ipsiqve Davidi, strenuo
 heroïs Regis nostri Salomonis parenti,
 2. Sam. XXIII. v. 1. tributus est. Hunc
 vero Regium titulum, quem voce הַעֲ erat
 B 2 orsus,

orsus, ita porro prosequitur & absolvit:
 רבֿר אמת וענוה צדק Celsissime Rex, *veritatis amans, & non nisi justa decernens.*
 Et hæc sunt vel ideo vera & commodissima
 literarum רבֿר vocalia puncta, quod
 spontaneum, clarissimum, non invitum,
 præcedentibus bene congruum sensum
 gignant, ut quem ante celsissimum facer
 autor dixerat, hunc porro compellet ju-
 stissimum Principem. Nec etiam vox
 ענוה quæ miram miseramque interpreti-
 bus figit crucem, miseriam notat, pro-
 ut quidam misere eam reddunt, sed ge-
 nuina ac propria sua, quam a primitivo
 suo, unde derivatur, verbo retinet, signi-
 ficandi vi responsum vel decretum innu-
 it, ut רבֿר ענוה צדק sit iste, *qui justa decer-
 nit*, justa dat responsa, cujus decreta,
 sententiæ ac judicia sint justissima. *Qui*
 significandi usus planissimus erit ac ap-
 pertus, si cum judicio conferatur
 Psal. XVIII. 36. cum 2. Sam. XXII. v. 36.
 Utroque enim in loco, uno eodemque
 carmine, unum idemque describitur ar-
 gumentum, hoc discrimine, ut pro psal-
 mi vocula ענוה ibi ponatur verbum in-
 finitivum nominis loco positum: ענוה,
 respondere, responsio, *Antwort.* Et
 sic

fic verba Psalms dicti, ענותך הרבני rectissime vertuntur : *Tu frequentia mihi indulges responsa.* Quid itaqve prohibet, quo minus genuinus retineri possit valor & hoc loco ? cur nova in nostro carmine quærenda incommoda, & a scopo autoris aliena significatio, qui justum Regem, & Principem celsum, Dominum suum compellaturus erat ?

Armis itaqve rutilantibus minacissimisqve instructum, curru vectum & quasi dimicaturum, ac certamen acerrimum periclitaturum, heroicum Regem postquam induxerat, gravissimus carminis autor, quid possit tali habitu conspicuus Rex, quidve moliat, hoc porro decantat elogio: *Sic tua dextra* v. 6. *stupenda præstat facinora,* ותורך נוראות sic experiris quid valeat dextra tua, & quid bello possis, discunt hostes atrocissimi. Quæ sint brachii tui vires, tunc effectus docet. *Acutissima tua sunt tela,* nec fallunt, nec falluntur, mentes habent & dentes, quo tendunt penetrant, quo penetrant, lædunt ac perdunt. *Populi Tibi substernuntur.* Quos infra tua dextra vincit, invictusqve bello animus superat, copiis fuis, dis-
B 3
jectis,

jectis, profligatis. Hac ratione, pergit, dum talem te præstas, dum & consilio vales & bello, בלכ איבי המלך, *medios* v.7 *inter hostes tuos*, אלהים. *Rex eminentissime*, (qui character Republicæ antistitibus in sacris literis tam est familiaris, ut illustratione nulla indigeat) *thronus tuus firmissime persistit*, *sceptrumque regni tui manet infractum & intactum*, *rectissime affectum*.

Hujus felicitatis regiæ, successumque secundorum ac blandissime aspirantis fortunæ, rationem porro indicat, de optimo Rege bene sentiens autor: v.8 *Justitiam amas*. Non immerito justus prædicatur æqvissimus Rex, qui, sub ipsis regni sui initiis, mirando simul ac stupendo prudentiæ exemplo ac argumento, luculentissimum justitiæ suæ dederat experimentum, i.Reg.III.16. *De testaris scelera*. Recte pergit veracissimus autor, Regem celebrans, qui sangvinolentum insidiatorem, integerimique viri ac strenui belli Ducis protervum carnificem, vindictæ insatiabilem & tandem rebellem Joabum, impune a patre relictum, a filio plectendum, injuriumque ac perfidum in patrem

trem

trem Simeï, de medio sustulerat. *Hinc*, inquit autor, ob hanc severam tuam justitiam, *te Deus unxit latissimo lectissimoque oleo, præ omnibus tuæ sortis*, ut sis omnibus fratribus tuis præpositus, præ omnibus Rex factus, posthabito Adonia, prostrato Absalomo: Unctus, inquam, es, præ omnibus tuæ dignitatis ordinisqve Principibus, ut nullus fuerit ante te Israelitarum tantus Rex, qui opibus tibi ac robore par esset, teste luculentissimo 1. Chron. XXIX. 25. cum quo conferatur 1. Reg. III. caput fere integrum. Ex duplici itaqve ratione unctionis mentionem facit argutissimus ordæ artifex, tum quod vere unctus sit præ cæteris in Regem, fratribus exclusis, tum, quod ex orientis familiari oleo se ungenti usu figura petita, oleo ungi idem sit, ac omnium rerum abundare copia, cum qui pauperioris sunt conditionis, oleo ad intestina potius ungenta, quam ad capitis cæteræqve cuticulæ utantur curam. Et tali rerum omnium abundantia sensu hac figura utitur David Psal. XXIII. pro omni bonorum copia Deum celebrans.


Pergit venustus autor in gratisima, ex
 fragrantissimo narthecio deprompta, lo-
 quendi figura, describendæque Regis
 magnificentiæ ulteriorem gratiam &
 venustatem conciliaturus, non in condi-
 ta, sed sale & acumine plenissima adhibet
 v.9. regii apparatus elogia: *Variis unguento-
 rum pretiosissimis generibus riget con-
 sistitque universus tuus habitus*, ut ex
 aromatibus unguentisque natæ, fusæ
 ac coagulatae, singulae tuæ videantur
 vestes, ut ex odoribus fragrantissimis
 concretæ quasi credantur, ut balsamum
 fit, oleatque, quicquid in toto apparet
 corpore. *Quæ pretiosissima unguenta
 depromuntur ex myrothecidiis capsulis-
 que eburneis.* Incommodissime enim
 per היכלים hoc loco *palatia* notari vel
 ex eo intelligitur, quod nemo unquam
 vir prudens amplissimis palatiis commi-
 serit balsamum unguentumque, aëri de-
 pascendum, idem acturus cum eo, qui
 totam aëris regionem facturus odorem,
 vel aromatibus suaveolentibus infectu-
 rus, oleum perdat & operam, ac pre-
 tium. Idem potius היכלים hoc loco
 erunt quod Esaiæ III. *בתי נפש* *capsulae re-
 frigerii*, recreationis vascula, & odorum
 pre-

pretiosa receptacula, ex quibus gratisima hauriantur spiracula, naresque tædiosæ reficiantur. Rigere itaque inquit autor Salomonis vestes fragrantissimo unguento, quod depromatur ex capsulis eburneis, *ex quibus, pergit, te Regem Serenissimum reficere ac recreare solent*, quibus hoc muneris demandatum est, familiares ministri.

Qui vero omnia, ad regium splendorem facientia, ordine justo recensuerat, accuratissimus Poëta, unum, potissimumque oblitus videbatur, quod castissimo, pudicitiaque suæ tenacissimo Josepho teste, omnium erat delicatissimum, nec fidisimo servo, cui vel totius domus, rei que familiaris universæ cæteræ cura erat commissa, tuto credendum, soli domino sacrum patulumque, suavissimum veneris promptuarium, formosum gynæceum. Quod distulit prudentissimus callidusque Regiæ magnificentia præco, non ut omittat, sed ut suavissimum splendoris regii argumentum in ultimum servet locum, Regi tanto melius serviens auribus, quanto certior erat, si ultimus placuisset tonus, totum non displicuisse carmen. Jucun-

disfimum autem hoc Salomonis diverti-
culum, impatientiæqve remedium, vere
pronunciat regium, non vulgare mol-
lissimi generis receptaculum, Principi-
bus Regum filiabus refertum, magnifi-
centiamqve excedens posteritatis regiæ
fœcundum seminarium, dum ita pergit:
v. 10. *Regum filie sunt inter delicias tuas, inter*
qvas dextra tuæ adstat præ cæteris emi-
nens Regina, primaria uxor, potentissi-
mi, si conijcere licet, vicinæ Ægypti Regis
filia, forma præstans, auroqve fulgens,
quod aurum ex Ophir advectum pretio-
fissimum. Dum vero meminit auri ex
Ophir, ex quo sit conspicua regia con-
jux, tacite prodit gravisimum augustis-
simi Regis elogium, cujus uxor non pa-
triis alienisve superbiat pennis, sed to-
tum debeat suum marito Regi decus.
Quo ipso & regias commendat divitias
opesqve, & providum in subditos eo-
rumqve incrementa affectum, qui com-
mercia impiger sua ad extremas exten-
derit terras, unde tantus in regione divi-
tiarum cumulus, vix ab ignobilibus nul-
liusqve pretii lapidibus mole superan-
das.


Et



*
* *

ET hæcenus productum ad sponsum Regem, magnificentissimum Salomonem, pertinens alloquium, quod nunc interrumpit tantisper, donec ad illud denuo redeat, interjecto ad sponsas, noviterque nuptas Regi maritas, blandissimo & moralibus ad matrimonium pertinentibus castissimis doctrinis fœcundissimo, ad eminentissimam, si augurio locus est, præ cæteris Pharaonis filiam directo, colloquio. Quod quidem colloquium ad Tyriam etiam Principem, Salomonis uxorem, cuius v. 13. mentio fit, pertinuisse non absurda foret opinio, sed ad Ægyptiam tamen directum esse vel inde vero similis, quod, nisi plura extent, certe adhuc unum superfit, in hujus gratiam adornatum, venustissimum omnium carmen. Dictam vero hanc Principem ita alloquitur: *Audi quæso, Serenissima Princeps, potentissimi Ægypti Regis filia, observa, quæso, consilium pro te meum, aures mihi concede dicturo tuas, easque arripe, & quid svadeam percipe: Obliviscaris gentis tuæ.* Dememinisse juvabit

bit *Ægypti*, ne de patria ejusque atergo relictis finibus sis sollicita, nec tangaris desiderio avitæ *paternæque domus, familia* domi residua ne sit tibi curæ cordique, anxiam propinquitatis domesticæ depone memoriam. Inquietus animus vultus colores turbat, dehonestat & deformat, evanescunt sollicitudine genarum ornamenta, officit desiderium formæ, cura venustatem corrumpit, pulchritudo nimio patriæ ardore depascitur, & angor infestus elegantiae hostis est, nec rerum pectus præteritarum memor præsentium capit amorem. Regem spernis, si patriam nimis diligis. Formæ itaque parce, parce tibi, Regi parce, qui te tristi tristis est. In hunc ne sævias, ne in tuummet sævias corpus, ne sis venustatis perniciēs propria. Sic, telæta, teque salva, magnificentissimus ætatis tuæ *Rex*, cujus te nunquam pæniteat pudeatve, maximum tuum decus, gaudiumque merito in posterum tuum & unicum solatium, *forma delectabitur tua*. Hic tua venustate captus te ardebit, te fitiet, te appetet totus, inque deliciis te habebit summis. *Hic dominus tuus gratiosissi-*



tiosissimus erit, qui te amet, qui te ornet, hoc præsidium in gente nova tuum. Gens, amica ex Regis amicitia, te venerabitur, te suspiciet, te mirabitur unam. Regi itaque *השתחו* *gratificeris*, Regi pare, tibi parcendo, angorem ponendo, *pare* parenti, patriæ patri, ipsum suspice, hunc venerare, hunc delecta, hunc in sinu geras oculisque, in oculis sinuque te gerentem, carissimum sponsum, gratiosissimum dominum, qui sit præteritorum svavissimum in te desiderii remedium, dulcissimum Sponsum.



Quod familiarissimum, quod svavissimum amœnumque colloquium, amoris in Regem acre incitamentum, ad spectatissimam Pharaonis filiam præcipue pertinens, simul tamen & quasi furtim, ex abrupto, quod in parenthesis vocare sivevimus, ad proximam, ab hac secundam Tyrii Regis principem filiam, regiam itidem non ultimam sponsam, ita dirigit: *Ad te quoque quod attinet, Tyri*^{v.13.} Regis princeps *filia*, nec tu honore, apud Regem gratia & apud subditos auctori-

toritate carebis , *muneribus & te venerabuntur* , ornabunt , gratiamque tuam affectabunt ambientque , *magnates proceresque , & amplissimi Judaici regni viri*. Qui, per munera Regis Regi-
 næve captandi ineundive gratiam, fami-
 liarissimus olim in Oriente ritus , tam-
 que Regibus in honorem debitus ac ne-
 cessarius visus , ut deficiente rerum pre-
 tio vel frigidam obtulerint principi. Du-
 bium vero si cui videatur , duxeritne
 unquam Salomo Tyrii Regis filiam, ex
 hoc non injuriâ quæritur , num alia
 quæpiam ratione dignius commodiusve
 בְּרִי צִוְּר , quam honoribus afficiendam
 pronunciat divinus autor , efferre aut
 vertere possit ? Deinde consideretur
 quæso decimi versus clarissimum effa-
 tum : *Regum filias esse inter dilectas
 Salomonis*. Quæ vero regum filia &
 unde ? si alicunde , cur non & Tyro ?
 Si aliunde plures cur non hinc unica ?
 Taceo conjunctissimam inter Chiram
 & Salomonem reges amicitiam : Ta-
 ceo , quod 1. Reg. IX. omnes vicinæ
 gentes Salomoni per matrimonium affi-
 nes commemorentur. Hunc cunctum unum
 jucundissimo mollissimoque onere quo-
 piam

piam non liberaverit familiarissimum ?
Qvæ ratio , cur solum præterierit inte-
gerrimum Tyrium amicum , cum qvo
in remotissimas , per mare , terras , com-
mercia instituerat , cum qvo fœdus in-
ierat , a qvo & oppida dono acceperat ?
Cur ? An non dotis loci rectissime qvis
augeretur ?

* * *

Sed Philologorum iudicio , linqvemus
hanc Tyri regis filiam , qvam linqvit
autor , & ad eminentissimam , unde abi-
erat , Pharaonis filiam redit. Colloqvio
ad eam primo hæctenus non tam inter-
rupto , qvam aliorsum tantisper defle-
xo. Hanc itaqve porro selectissimis
suis ornat encomiis : *Tota bene culta*,^{v.14}
splendida , egregia , eximiaqve & ele-
gans , magnificentissimo ac regifico cul-
tu habituve ornata , geminis ac pretio-
sitatibus onerata , *ex intimisque* , ab in-
dusio , si illud videre fas fit , bene vestita
Regis filia , usqve ad exteriora corporis
velamenta. Non oculos fallentem , pro-
letarium , pretiumqve mentientem , sed
ex integro vere incomparabilem ac
inæstimabilem , omne pretium su-
peran-

perantem, sponsæ regiæ ostendit habitum. Et quem hæcenus summum & simul encomio ornaverat suo, hunc in aliquibus pretiositatum partibus distinctius lustrat & ita exaggerat: *Ex velo auro distinctissimo, arteque vario, filis pretiosissimis intextis, confectum vestimentum ejus.* Erectus ex auro consistit rigetque totus ejus habitus. *In acupictis, mit Gold und Seide gestickten Kleidern, adducitur Regi, exercitu stipata mollissimarum virginum, tot veneribus simillimarum. Begleitet von ihren Fräuleins, oder in Begleitung ihrer Kammer-Fräuleins. Quæ ejus sociæ formarum gloria certantes, venustissimæque, simul adducuntur tibi Rex splendidissime, pro desiderio deliciisque*
 v.15 *tuis. Et adducuntur quidem non sine harmonicis lusibus cantibusque voluptatem augmentibus, usque in palatium regium. Quæ & cætera hujus & præcedentis versus verba, in quibus compellatio Regis frequens est, uxori quidem vel sponsæ regiæ adhuc loquitur autor, ita tamen, ut simul levi corporis inclinatione, nutu ac inflexione, a secundo jam hinc superiori versu, regem salutarit, &*
 alate-

a latere quasi suo praesentem stiterit, a se jam obliquis hircisque & blandulis observatum oculis, ad quem nunc sensim sensimque, a sponsa colloquium suum mox declinaturus, reditum sibi paraturus erat.


HActenus itaque a regio magnificentissimo sponso colloquium suum deflexerat, jucundissimo apud sponsam regiam, principem Pharaonis filiam, pro instruenda ea delicatissimis & ad matrimonium regiumque obsequium pertinentibus consiliis, diverticulo usus. Hinc nunc, unde modestum reditum, obliquo regis intuitu & blanda ad eum corporis inclinatione, verbisque ad eum semi directis artificiose jam machinatus erat, plane revertitur, sponsumque Regem laetissimis delectat omnibus, fecundissimi matrimonii augur, ita pergens: *Loco parentum filios suscipies principes, v. 17.* qui reddant, quod parentum mors abstulerat, solatium gaudiumque, quibusque tempusteras, tedium fallas & pellas, qui sint oblectamento. Ut eadem, quae Isaac, Gen. XXIV. v. 67. ultimo, gaudeas

C


deas consolatione. Quæ, uti illi erat ex matris, ita tibi fit ex parentum morte inflictæ valneris tristitiæque remedium. Filiis, inquit, gaudebis, quos *constituas provinciarum gubernatores ac curatores in omniibus regni tui finibus*, tanto securior ab alienis futurus infidiis, amplissima regni munia obeuntibus, honoribusque summis fungentibus filiis propriis.

Ob hunc, pergit, & carmen demum claudit, laudis largissimus autor, fortunatissimum rerum tuarum statum, o, qua sol habitabiles illustrat oras maxime Principum, Augustissime Rex Salomo, carmine meo ac encomio, per
 v. 18. que memores *æternabo laudes serenissimum nomen tuum, quod ad omnem perveniat ætatum memoriam*. Nec solus ego famæ tuæ machinabor æternitatem, quin totus, quousque cultus est, orbis, ejusque incolæ, ob has tuas te celebrabunt *felicitatum rationes, in infinita secula*.

Tot sunt, ac tantilla, quæ & in *Serenissimi Serenissimæque Principum gloriam Conjugum*, & in epithalamii Salomonei



monei illustrationem scribere valui.
Quæ qui legerit, non a Philologo, sed
a Philologiæ studio profecta sciat; sic
habebit, cur tanto clementius de iis judi-
cium ferat. Quod addam non est, nisi
compendiosissimum hoc, sed ex imo
pectore ductum, pium votum: Velit
benignissimum efficere Numen, ut,
sicuti Regni Borussici fines, terrarum-
que Brandenburgicarum limites, ampli-
tudine sua longe excedunt rectas olim
a Salomone terras, ita & fortunæ incre-
mentum gloriæque splendor, & poste-
ritatis æterna series, in *Serenissimo ac*
Regio Principe FRIDERICO WIL-
HELMO, Domino Nostro, regni HÆ-
REDE, ac vegetissimo PATRIÆ FUL-
CRO, Serenissimaque SOPHIA DO-
ROTHEA, Principe Conjuge, PA-
TRIAEQVE Regia MATRE, Salomo-
neam fortem longissime, ultraque
immensos ætatum tractus, infinitis su-
peret modis.



למנצח


למנצח על ששנים לבני קרח

משכיל שיר ירדות.

רחש לבי דבר טוב/ אמר אני מעשיל מלך/ לשוני עט
סופר מהור. יפיפות מבני אדם/ הוצק חן בשפתותיך.
על בן ברכך אלהים לעלם. חגור חרבך
על ירך/ גבור/ הודך והדרך. והדרך צלח הקב/
על דבר אמת וענוה צדק. ותורך נוראות ימינך/
חציק שנונים/ עמים תחתך יפלו. בלכ איביך
כסאך/ אלהים/ עולם ועד/ שבט מישור שבט
מלכותך. אהבת צדק ותשנא רשע/ על כן משחך
אלהים/ אלהיך/ שמן ששון/ מחברוך. מר/
ואהלות/ קציעות/ כל בגדתך/ מן הוכלי שן/
מני שמחך. בנות מלכים ביקרותיך/ נצבה
שגל לימנך בכתם אופיר. שמעו בת/ וראו
והטו אזנך: ושכחי עמך/ ובית אביך/ ויתאו
המלך יפוך/ כי הוא אדניך/ והשתחוי לו. (ובת
צור/ במנחה פניך יחלו עשירי עם.) כל כבודה
בת מלך/ פנימה. ממשכצות זהב לבושה/ לרקמות
תוכל למלך/ בתולות אחריה. רעותיה מובאות
לך/ תוכלנה בשמחה וגילו/ תבאונה בהוכל מלך.
תחת אבותיך יהיו בניך/ תשיתמו לשרים בכל
הארץ. אזכירה שמך בכל דר ודר/ על כן עמים
יהודוך לעלם ועד.

Ein

Ein unter Aufsicht und Anführung
des Sangmeisters aus dem Geschlecht
Kohra, mit Zuziehung eines sechs-seiti-
gen Spielwercks gemachtes
Stück, bestehend,
in einem Liebes-oder Braut-Liede.




*Eine Gedanken sind in Erfindung eines sinnreichen Gedichts beschäftigt, welches Gedicht ich dem König Salomo zgedacht habe. In dessen Absingung sol meine Zunge so schnelle und flüchtige Zuge, driller und Läufe machen, das sie die eilfertigste und flüchtigste Feder eines noch so geschwinden Schreibers nicht so künstlich schreiben oder mahlen soll: Kein Mensch ist dir König Salomo an Schönheit gleich, deine Lippen fließen von Annuht. Über dis hat dir auch Gott ewigen Segen und Nachkommenschaft in deinem Königreich verheissen. Es stehet dir, grosser Held, überaus prüchtig und herrlich an, wenn du dein Schwerdt um deine Seite gürtest. Herrlich läst dirs auch, wenn du deinen königlichen Wagen besteigest,
du*

*du majestätischer hoher König, der du
 Redlichkeit liebest und gerechte Urtheil
 sprichst. Deinetapffere Faust thut Wun-
 der-Dinge. Deine Pfeile sind von un-
 vergleichlicher Schärffe und Nachdruck,
 die gewaltigste Völcker müssen sich vor
 dir beugen. Und mitten unter deinen
 Feinden, mus, wieder allen ihren Dank
 und Willen, dein Thron, du Majestätischer
 Herr, unaufhörlich bestehen, und der
 Scepter deines Reichs bleibet in richtigem
 Wolstande. Du liebest Gerechtigkeit
 und bist ein Feind alles Frevels, und daher
 hat dich auch der Gott, dem du dieneft,
 mit dem herrlichsten Oel gesalbet vor al-
 len deines gleichen, deinen Brüdern und
 Königlichen Vorfabren. Deine Kleider
 starren gleichsam von allerhand Gat-
 tungen des köstlichsten Balsams, aus den
 Elfenbeinern Büchschens, daraus man
 dich zu erqvicken pfeget. Unter dei-
 nen theuersten Gemablinnen sind grosser
 Könige Töchter, und die Königin deine
 vornehmste Gemabl, stehet zu deiner
 Rechten in dem Kostbabrsten Gold-
 Schmuck, aus Ophir. Gerube einmahl,
 theuerste Prinzessin, deines Knechtes
 Wort*

Wort anzuhören, würdige denselben deiner Aufmercksamkeit, und las meinen unterthänigsten Rabt gnädigstes Gehör finden: Schläge dein Vaterland Egypten aus dem Sinn, und sehne dich ferner nicht nach deiner hohen Verwandschafft. So wird der König Salomo, dein Gemabl, sein grössstes Vergnügen an deiner ausserordentlichen Schönheit haben, und dein gnädigster Herr seyn. Drum lebe doch demselben zu gefallen, und gräme dich nicht zum Nachtheil deiner Schönheit. (Und was dich, des Königs von Tyrus Prinzessin Tochter, anlanget, auch dir wird es nicht an Ehre fehlen, die vornehmsten Herren des Israëlitischen Königreichs, werden sich durch Ehrengeschencke um deine Gnade bemühen) Des Königs Pharaos Tochter hat überaus prächtigen Habit, von der zarten Haut an bis auf die äusserste Kleidung. Ihr Kleid ist mit Gold gesticket. Sie wird in gestickter Seidenen Tracht, in Begleitung ihrer Kammer-Fräuleins dem König zu geführt, welche ebenfals bey dir, allergnädigster König, ihre Aufwartung machen. Und solcher Aufzug geschiehet
unter


unter der angenehmsten Music, bis in
 des Königs Palast. Auf solche Weise
 wirst du, grosser König Salomo, getrö-
 stet über den Tod deiner Eltern, an deren
 Statt dich der Höchste mit Prinzen geseg-
 net wird, welche du in allen Landschaff-
 ten zu Statthaltern setzen kanst. Durch
 Beschreibung dieser deiner grossen Glück-
 seligkeit wil ich deinen Nahmen der
 Ewigkeit einverleiben; ja, bey aller
 Welt wird eben deswegen dein
 Ruhm unsterblich und ohn En-
 de seyn.



in
rife
rü-
ren
ig-
ob
k-
der
ller


F. Reppien






Small, light-colored rectangular label affixed to the top edge of the spine area.

Small, light-colored rectangular label affixed to the lower part of the spine area.



the scale towards document

o) 
irdige denselben dei-
it , und las meinen
eht gnädigstes Gehör
n Vaterland Egypten
d sehne dich ferner
hen Verwandschafft.
olomo , dein Gemabl,
üigen an deiner ausser
eit haben , und dein
m. Drum lebe doch
en , und gräme dich
eil deiner Schönheit.
es Königs von Tyrus
anlanget , auch dir
re fehlen , die vor-
les Israëlitischen Kö-
e sich durch Ehren-
e Gnade bemühen)
Tochter hat überaus
vonder zarten Haut
erste Kleidung. Ihr
sticket. Sie wird in
Tracht , in Beglei-
Fräuleins dem König
he ebenfals bey dir ,
ig , ihre Aufwartung
er Aufzug geschiehet
unter